



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 20. Invocatio omnium Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. XX.

Invocatio omnium Sanctorum.

Sancti Dei omnes, cives supernæ patriæ, inclinate aures vestras & demittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus, & infirmus, cui omnia defunt ornamenta virtutum: ad vos clamo, & vestram imploro benignitatem; succurrite infirmitati meæ, fidem meam & spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam cælestis convivi, in conspectu divinæ majestatis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, & ardentissimis desideriiis è cælo ad terram traxistis, hujusque Sacramenti mysteria variis typis & umbris præfigurastis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sanctè tractare possim, & puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima cæna novi Testamenti Sacerdotes creavit, ac primum seipso cibavit, vos suppliciter exoro, ut vestrâ adjutus ope gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo Regi pro nobis crucifixo vicem, quam potuistis, vitæ oblatione per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus & purificatus meipsum mactem Deo hostiam vivam & ei placentem; sicque paratus & probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices & Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis; pro me obsecro intercedite, ut meum quod oblaturus sum sacrificium Deo sit acceptabile, mihi que & omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi & Eremitæ, qui cibo potuque cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias, & vitæ hujus pericula superastis, adjuvate me orationibus vestris, ut sacris hisce mysteriis armatus meipsum vincam, & omnes inimicos animæ meæ conteram sub pedibus meis.

Sanctæ Virgines Deo amabiles, quæ studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum

præparastis, & nunc in cælo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit Virginitatis prærogativâ eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, quâ corpus & animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N.N. & vos Sancti N.N. quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio atcedo nunc ad immolandum corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium vivâ fide, ferventi charitate, & plenâ devotione perficiam, perque ejus continuum & salutiferum usum vestro dignus confortio tandem inveniar. Amen.

CAPUT V.

De Missæ celebratione.

§. I.

De proxima dispositione ad Missam.

Pervulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se animæ exhibet Deus, qualem se illa præparat Deo. Ideò Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitæ, Panis Angelorum, Manna absconditum, Paradisus deliciarum, ignis consumens, & tertium Cælum, in quo audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui. Aliis verò est panis insipidus, omni carens dulcedine, & vitali operatione, & nausæat anima eorum super cibo isto: quia nimirum mors est malis, vita bonis; & sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se experitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivi in se sentiant effectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos ritè disponant; qui seriò cogitent, se ad Sancta Sanctorum accedere, ad Altare Dei, ad Deum ipsum. Ideò multi infirmi sunt & imbecilles, & dormiunt multi. Mortem olim summo Sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in Sancta Sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro, omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergò poenam merebitur novæ Legis Sacerdos, qui non ad Arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut Filium ejus Dominum Jesum Christum immolet,

C c

tan-